



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)



AD LECTOREM.



QV M ea sit humanæ scientiæ, & sensuum ad-
miniculis acquisitæ cognitionis natura, &
ratio, ut propè circa res omnes (si paucas per
se notas, & nonnullas à Deo traditas verita-
tes excipias) non sine periculo erroris timi-
dè prorsus, trepideque versetur, quis non vi-
deat illum rem laboris plenissimam, & hu-
manis penè viribus imparem subire, qui non vulgarem aliquam
disciplinam, aut artem, sed ipsam vniuersam Theologiam, hoc
est, occultissimas de Deo, aliisque rebus humanum propè ca-
ptum superantibus veritates, in tanta quidem sectarum, atque
opinionum varietate, graui, subtilique, uti par est, oratione com-
prehendere, aut explanare conetur? Præsertim cum sapientissi-
mus ille inter omnes mysteriorum cælestium indagator Dio-
nysius, omnem, quæ ab infirma proficiscitur hominum indu-
stria, diuinarum rerum scientiam, stultam sapientiam, & mysti-
cam caliginem appellet, nobis innuens, neminem vnquam
mortalium aut tam lynceum fuisse, vel fore, qui res tam altè
demersas è reconditis tenebris eruere, aut tam perspicacem,
qui omnia, & singula, quæ in altis, atque inexhaustis Theologiæ
oris delitescunt, perlustrare, aut denique tam in contemplando
acrem, qui omnes, quæ ad sacram doctrinam spectant, difficul-
tates animo comprehendere possit. Diuina siquidem omnia, ut
Attica illa apis Xenophon præclarè sentit, tanquam splendidis-
simi radij Solis, ita omnem intelligendi aciem luce sua perstrin-
gunt, ut quo attentius in his contemplandis cogitationes no-
stras desigimus, eo vehementius perenni luce obcæcati tenuita-
tem nostram depleamus. Itaque hic, qui à nobis in iis studiis
suscipiat labor, nihil aliud videtur (ut Nazianzeno familiari
vitar adagio) quam *πλῆξ ἐν τῇ νυκτί*, id est, nauigatio nocturna tenebris circumsepta, quæ ut terroris, ita difficultatis habet pluri-
mum.

num. Quæ omnia vti me nec semel, neque parum deterruerunt, sic etiam à consummandis, euulgandisque nostris in omnem Theologiam lucubrationibus omnino reuocassent, nisi mihi aliquando in mentem venisset, qualescumque has nostras copias, etsi minus fortassis accuratè, minùsve ingeniosè, attamen ex auitis Sanctorum Patrum monumentis, & Sanctorum Conciliorum oraculis fere depromptas, non minus Ecclesiæ Dei utilitatis allaturas esse, quam vana hæreticorum opera, nullaque prorsus aut Dei, aut Sanctorum Patrum autoritate de rebus grauisimis, atque occultissimis nixa dogmata pernicipi, ac fraudis eidem, cum omni tempore, tum hoc nostro æuo afferre potuerunt. Huic accessit communis illa sapientium vox, Nos non nobis solis, sed aliis quoque natos esse. Omitto communem tum eorum, qui me olim in Italia, Hispaniaque nostra in Theologiæ curriculo magistro, ac duce vsi sunt, tum aliorum eiusdem huius scientiæ studiis operatorum voluntatem, quibus tenues industriæ nostræ fontes ne intercluderem, amor, quo eorum studia semper sum prosecutus, monebat: præsertim cum viderem non paucos tum docendo in Scholis, tum etiam libris in lucem editis mea audacter pro suis hætenus venditasse, & indies venditare. Sed hæc ipsa, vt verum fatear dubitandum excitare, impellere vero penitus non potuissent, nisi S. Thomam grauisimum, atque acutissimum nobis diuinitus datum Doctorem, in hisce tam operosis nostris commentationibus præeuntem, & quasi viam munienter subsequerem: cuius vel sola (ne quid maius dicam) in tantæ multiplici rerum Theologicarum varietate præclara distributio, atque diuina methodus, nequid vsquam temere, nequid præposterè, aut repetito dicam, vel tractem, effectura est. Atque vt hæc tot, talesque causæ extiterint, quæ me ad opus suscipiendum primo, mox etiam ad euulgandum animarunt, ita laborem, & quam in eodem opere expertus sum difficultatem, nequaquam mitigarunt. Vt enim omittam ingentem huius summæ à S. Thoma in tria, à posteris in quatuor volumina diuisæ magnitudinem, quæ tota, quo rectius in eam commentaremur, meliusque occurrentes in ea passim difficultates dissolueremus, iterum nobis, iterumque legenda, & relegenda fuit: quidquid vsquam in aliis suis operibus, quæ nec numero pauca, nec magnitudine exigua sunt, S. Thomæ tradidit, sedulo perlegimus: deinde mysticos illos, atque latissimos vtriusque tum recentis, tum veteris Scripturæ campos (quod necesse fuit) diu multumque lastrauimus: postea augustissima Sanctæ Ecclesiæ decreta, & Concilia, yberrimos indubitatæ

bitatæ veritatis, ac fidei fontes, omni diligentia, atque attentio-
ne peruoluimus: denique Sanctorum Patrum, tam Græcorum,
quàm Latinorum monumenta, quorum autoritate permulta
in hoc opere, ac persæpe confirmaturi necessario eramus, indefe-
so labore, ac studio percurrimus. Ita nec inexpugnabilis Sancto-
rum oraculorum vis, nec grauiissima Conciliorum auctoritas, nec
exquisitissimæ antiquissimorum Patrum sententiæ, validissima
nobis futura assertio-
num nostrarum firmamenta in his nostris
voluminibus desiderabuntur. Nam tamen in ceteris fortasse
disciplinis plus roboris, atque momenti rationibus, & ex rerum
natura petitis argumentis, quam auctoritatibus hominum, etiam
doctissimorum, tribuatur (propterea quod hæ propius, quàm illa
ab erroris absint periculo) in Theologia tamen è contra accidit,
vt quoniam ea de rebus humani ingenij captum, sensuumque
experimentum fugientibus tractat, grauiissimis potius interdum
diuinitus eruditorum hominum testimoniis, quam rationum
naturalium, quas tamen non aspernatur, momenti nitatur. In
antiquorum v. Scholasticorum opinionibus, earumque firma-
mentis adducendis hanc rationem secutus sum, vt selectiores
dumtaxat selectorum auctorum sententias, earumque robur ac
nodum, per summam breuitatem adducerem: his non solum re-
lictis, quarum auxilio parum, aut nihil confirmari, verum iis et-
iam, quarum confutatione non multum illustrari sententiæ no-
stræ veritas posse videbatur. Quod duabus potissimum de causis
mihi faciendum duxi; tum ne (quod non leue est huius sæculi
vitium) aliena quasi messe nostra horrea complèsse viderer: tum
etiam, si quis in his nostris operibus, aut minus vere dictum, aut
parum accuratè confirmatum occurreret, breuitate dictionis, ita
compensaretur, vt si nihil docendo profuisssem, rerum sanè, at-
que inutilium verborum prolixitate, temporis auaro lectori non
obesssem.

Non me latet ferius aliquanto, quam vel nostri promissi ra-
tio, vel etiam non paucorum fortasse desiderium flagitabat, pri-
mum hoc operum nostrorum volumen in lucem exire, quod ta-
men nostræ vel ignauix, vel obliuioni, quæ nulla fuit, à quoquam
adscribi nolim. Nam cum ante quadriennium tres de cultu Ado-
rationis libellos specimen lucubrationum nostrarum edidisssem,
atque inde ad eos, quos in vniuersam Theologiam inceptos ha-
bebam Commentarios, gradum mox facere cogitasssem, vt me
tunc indicare memini, protinus ad intermissum aliquamdiu pu-
blicæ professionis munus Superiorum iussu redire, coactus sum:
vnde

vnde factum est, vt inciso repente conatus nostri filo, partem non exiguam eius operæ, atque vigiliæ, quam exprimendis reliquis nostris operibus impensurus eram, auditoribus meis necessario largiri compulsus sim.

Huc demum accessit silentium Hispanis Theologis abhinc annos quatuor circiter à Summo Pontifice circa materiam de Gratia ad sedandas quasdam contentiones indictum, de qua tamen gratia Dei non pauca in hoc opere, in quo de prædestinatione agitur, necessario dicturi eramus. Quibus cum vel obstaculis, vel impedimentis, iam & pontificia auctoritas, & temporis longitudo finem aliquando attulerit: reliquum est, Amice Lector, vt quâ nos deinceps in euulgandis nostris operibus diligentia vsuri sumus, eadem tu in iisdem euoluendis vtaris: iam enim secundus Commentariorum nostrorum Tomus in hanc ipsam Primam Partem sub prælo est, quem propediem accepturus es. Vale.

APPRO.

